


3

# ALMA ROMA



QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET



restauretur denuo.  
nsules desiderat,  
devitent dummodo!

at amor patriae? ...  
videbitis in poste-  
[rum.

n sed securius ...  
quid ipse proderit!  
pertransivit gloria.  
armis nos hic pau-  
[lulum,

Festina lente, puer!  
ndum.

assis surgent obices  
Frusta tunc spera-  
[bimus

devastare incendiis,  
auros in Africam.

optandum citius.  
quid tu, tiruncule?

nae olim fastidium;  
tiant prolixius,

Romanis taedium,  
s ferebat regio,

aximum periculum.

s Carthagini,  
dicam molassicum,

otinus Carthago! »  
[eulat.

ma ficus iucundis-  
[sima

a in manus nostras  
[cadet.

!

ARI, Sponsor.

LOTTIS VATICANIS.

# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

**Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus**  
**Corsio Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)**

**Sedes aliae:** In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Bastia Umbra - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bisceglie - Bologna - Bolzano - Borgo a Mozzano - Bra - Brescia - Cagliari - Caltagirone - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Casalbuttano - Castellamonte - Castelnuovo di Garfagnana - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cornigliano Ligure - Cortona - Cotrone - Crema - Cremona - Cuorgnè - Dogliani - Fabriano - Fermo - Fiesole - Figline Val d'Arno - Firenze - Foggia - Foiano della Chiana - Foligno - Forte dei Marmi - Fossano - Frascati - Frosinone - Gallicano - Gallipoli - Genova - Giugliano Camp. - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lanciano - Lecce - Legnano - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Mercatale - Messina - Milano - Modica - Mondovì - Monteleone Calabro - Montesampietrangelgi - Monte S. Savino - Monte Urano - Montevarchi - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Norcia - Novi Ligure - Oneglia - Orbetello - Orvieto - Orzinuovi - Pagani - Palermo - Pallanza - Parenzo - Piadena - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Poggibonsi - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferraio - Porto S. Giorgio - Potenza - Pratola Peligna - Rapallo - Reggio Cal. - Rivarolo Canavese - Rocchetta Ligure - Roma - Rovigno - Salerno - S. Benedetto del Tronto - S. Maria degli Angeli - Sansevero - Saronno - Savona - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Squinzano - Tagliacozzo - Terra Nova Sicula - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre dei Passeri - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo - Volterra.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exterbas gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borjas Blancas, S. Coloma de Queralt, Wals in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashu, Fayoum, Kafr El Cheikh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli in Syria - Gerusalemme, Caifa, Giaffa in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

**¶ Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.**

## Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,  
 pretio quod sequitur:

**JOSEPHI FORNARI Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

**JOSEPHI FORNARI Fridianus** et **Francisculi prandum**, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulae lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

**HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores.** - Si tegumento solut. lib. 3; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 4.

**I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae.** - Singulae lib. 1,50.

**I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesiae fabula.** - Lib. 1,50.

A

Premium annu  
pro Hisp  
nalis et C  
ante solva  
Governo

De s  
in nost

Postqu  
Oratores, leg  
novam lege  
tulerunt, m  
rum content  
apud nos, or  
rationem v  
adeptam, in  
illo quidem  
plus aequo,  
moderatores  
cura, dum p  
vere studen  
eius pernic  
bantur. Qua  
commode ap  
imperatore

Multitudi

Infelix Italia  
ipsa diceret

*Infirmiae es sin  
Et se, vertente*

Modo ver  
stulant, ad

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, Via del Governo Vecchio, 96.*

○○○ ○○○ ○○○ ○○○ ○○○ ○○○ ○○○ ○○○

## De studio linguae latinae in nostris scholis instaurando

Postquam Romae abhinc paucos dies Oratores, legibus ferendis a populo delecti, novam legem de studiis instaurandis retulerunt, magna subito hinc inde animorum contentio exorta est. Nimirum scholae apud nos, omnium sententia, ob studiorum rationem vel ab initio rerum novarum adeptam, insigniter morbo laborant. Ab illo quidem tempore multi, et fortasse plus aequo, exstiterunt summi studiorum moderatores, qui etsi ingenio praediti et cura, dum puerili institutioni candide favere student, mirum tamen in modum ad eius perniciem quotidie coniurare videbantur. Quam verum, hac de re, quam commode aptatur illud populi effatum de imperatore Adriano:

*Multitudo medicorum occidit Caesarem!*

Infelix Italiae conditio! Quam optime de ipsa diceret Alligherius:

*Infirmae es similis, quae haud quicunque requiescere lecto,  
Et se, vertendo saepe, levare putat.*

Modo vero prudentiores in primis postulant, ad studia instauranda, atque eo

summopere contendunt, ut vigeat libertas, aequa scilicet lex inter alumnos qui publicas scholas frequentant, et qui privatas, sub magistrorum ductu praescriptaque, eam studiorum rationem sequuntur, quam sibi magis probatam crediderint. Summus sit studiorum moderator, qui communes leges, quibus omnes obedient, idem tidem referat, at omnes apud eosdem publice delectos doctores examen subeant. Hoc opus, hic labor! Hac de re multa multi vario marte decertant.

Nos vero, multis recentiorum commentis posthabitatis, ad veterum modum redendum esse credimus.

Ita se gerere patres consueverunt, ad latinum quod spectat. In ipso disciplinae limine, strenuam operam dabant, ut pueri prima latina linguae rudimenta tantummodo ponerent. Et magister magistrorum, magnus ille Donatus, qui, vel a primis Christianorum temporibus, sapientissimas grammaticas leges simul collegerat in puerorum commodum, et labentibus annis ad nostram usque aetatem usurpari coepitus est, unice per tot annos studiorum manibus terebatur. Ipso duce, linguae latinae alumni, additis nonnullis praeceptis, quae ad syntaxim potissimum spectarent, ad rhetoricae scholam ingrediebantur, in quibus operam dabant illis

modo disciplinis, quae ad sermonis elegiam et venustatem pertinenter.

At nunc, si leviter puerilis institutionis rationem respicias, quis non indignetur immanem cernens grammaticarum mollem, quae singulis annis in vulgus editur! Quae rerum mentisque confusio! Quae puerorum irritatio, et in primis perpetua patrum marsupii vexatio! Quid hinc? Operam sane omnem aranearum plenam et texturam praestant.

Equidem qui hanc disciplinam apud nos invexerunt, qua studiosi, in multa eademque diversa distracti, rerum pondere obruuntur, in Quintilianum, doctorem gravissimum identidem animum advertant, cuius haec sunt verba: «Pueris, quae maxime ingenium alant atque animum augent, praelegenda; ceteris, quae ad eruditionem modo pertinent, longa aetas spatium dabit». Quod quidem Quintilliani monitum eo spectat, ut adolescentes e nostris scholis eloquentes et ornati scriptores prodeant, non inepti, non rudes, non sermone barbari, non denique erudituri, aut inanibus tantummodo praeceptis imbuti.

Nos vero quanti eramus, toti in latinis auctoribus italisque volvendis eramus. Pueri per quinquennium edocebantur doctrinam christianam, historiam sacram, italam dictio nem latinamque et arithmeticam; quinto anno rhetoricas, uti dicebatur, praeceptiones fusius arripiebant, atque ita latinas atque italicas litteras, ut publicum harum linguarum specimen darent, tum soluta, tum numeris adscripta oratione. Pueri hi, qui in eo erant ut ad philosophiae curriculum inveharent, Vergilium, Ciceronem, Tacitum ipsum peramanter legebant, atque in succum et in sanguinem reddebant; quin imo studiose huiusmodi scriptores nocturna versabant manu, versabant diurna. Et nostri magistri, data occasione, latine eloqui consueverant, suavi nostro gaudio, neque parvo in doctrina fructu. Quod quidem et nonnulli seniores utique atque

amatores temporis acti eiusque commodi laudatores, obiter hac nostra aetate, in novo rerum certamine, puerili institutione obiter innuerunt.

Quae passim memoravi atque in uno stans pede disserui, gravius equidem et commodius essent tractanda, animoque sedato studiisque partium remotis. Dum amor mihi bona in praesentiarum et maiora praesagit in futurum, verba Alligherii nostri mutuare non dubitarem:

*Adsimilis factus cupienti atiudque volenti  
Dumque tamen sperat, corde quiescit, eram.<sup>1</sup>*

Quod aequi bonique vos qui legistis faciat is, etiam atque etiam rogo.

I. B. FRANCESCA.

<sup>1</sup> Fecimi qual è quei, che desfando  
Altro vorria, e sperando s'appaga.  
(Par., XXIII).

## DE POËTARUM ELEGIACORUM COMPARATIONIBUS<sup>1</sup>

Hanc tamen Ovidii comparationem, de qua supra, Washietlius revocare vult ad LUCR. (II, 206):

*Nocturnasque faces caeli, sublime volantes,  
nonne vides longos flammarum ducere tractus,  
in quascumque dedit partes natura meatum,  
non cadere in terram stellas et sidera cernis?*

Sed hoc ne ei credamus, ea re efficitur, quod aperte varias de traiectione stellarum poëtae sententias sequuntur. Lucretius enim nisi credidisset, stellas revera cadere, quaerere non potuisset: *Non cadere in terram stellas et sidera cernis?* Ovidium autem non ita sensisse verba docent: *Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri.*

Ad multitudinem significandam iam vetustissimis temporibus homines numerum stellarum imaginis loco adhibuerunt.

<sup>1</sup> Cf. fasc. sup.

Apud Graecos hanc imaginem iam pri dem in proverbium abisse, non tam docet ( $\Theta$ . 555) locus supra a me allatus, quam quae leguntur in PLATONIS *Euthydem* (294, B) Ἡ καὶ νευρορραφεῖν δυνατό ἐστον; καὶ νὰ μὰ Δία καττύειν, ἔφη. Ἡ καὶ τὰ τοιαῦτα, τοὺς ἀστέρας, ὄπόσοι εἰσὶ, καὶ τὴν ἄμμον;

CALIMACHUS (*h. i Del.* 175): *Ιοάριθμοι τείρειν, ἡνίκα πλεῖστα κατ' ήέρας βουκολέονται.* Verbo βουκολεῖσθαι novam induxit imaginem et e natura sua artificiosorem reddit didit orationem sicuti THEOCRITUS, apud quem est (XXX, 27):

ὅττις δοκίμοι τὸν δολομάχανον  
νικάσειν Ἐρον, οὗτος δοκίμοι τοὺς ὑπέρ ἄμμεων  
εὐρεῖν βραΐδως ἀστέρας ὄποσάκιν ἔννεα.

Iure A. RIESIUS<sup>1</sup> in editione carminum Catulli dicit, simplicius et ingeniosius eamdem imaginem a Catullo esse adhibitam (VII, 4) *quam sidera multa, cum tacet nox, furtivos hominum vident amores.* Etiam in epithalamio eamdem similitudinem adhibuit (LXI, 203):

*Siderumque micantium  
subducat numerum prius,  
qui vestri numerare vult  
multa milia ludi.*

Bis eam apud OVIDIUM inveni; I<sup>o</sup> (A. Am. I, 59):

*Quot caelum stellas, tot habet tua  
Roma puellas.*

<sup>1</sup> Alter visum est C. P. SCHULTIO (*De Catullo graecorum imitatore diss.*, Ien. 1871) qui suspicatur, hoc carmen inter ea habendum esse «quae tot et tam certis imitationis Graecae vestigiis excellant, atque ita Graeca exemplaria spirent, ut ex aliquo carmine nunc deperdito translata esse verisimile sit». Quorum in numerum vestigiorum etiam comparationem nostram refert. Quid vero de eo dicamus, quod contendit, carmen scriptum esse, «ubi primum poëta Lesbiam amare cooperit et verum illum ardorem», quem in ceteris carminibus, quae Lesbiae cecinerit Catullus, admirerum, «plane abesse». Hoc omnino falsum esse nemo non videt. Profecto ardor non abest, immo redundat et effunditur e carmine, quod quasi inter ipsa oscula Catullus condidit, tam vivus, tam verus, ut caecus esse debeat, qui hoc carmen non proprium Catullo esse videt.

II<sup>o</sup> (*Trist. I, 5, 47*): *Tot mala sum passus, quot in aethere sidera lucent.*

Iniuria autem ZINGERLEUS, vir cetero quin plurimae Ovidii lectionis, miratus est, Ovidium ea imagine uti, quum alias quae sitiora amet.<sup>1</sup> Nam dummodo sententia venusta sit atque decora, utrum quae sitiora sit an e vulgari sermone de prompta, Ovidius nunquam curavit.<sup>2</sup>

(Sequitur).

ALEXANDER AURELI.

<sup>1</sup> OVID. und sein Verhältniss zu den Vorgängen u. Gleich. röm. Dichtern. (T, p. 36).

<sup>2</sup> Quamquam non imago est, tamen licet mihi asserre (Am. II, 10, 14): «Quid folia arboribus, quid pleno sidera caelo, in freta collectas alta quid addis aquas?».

## DE CONVERSIONE OPERUM

Ulteriores in orbis plagas traducendo hominum generi, grandioris quam quae, temporibus exploratis (Atlantidem quippe, et quae sunt ante diluvium, nescimus), unquam exstitit, fabricae fuit opus instrumento. Quare ad convehendas undique gentes in longinqua loca, immanis haec est mechanica disciplina inventa, cuius altera pars exteriore corporum motus, interiores autem altera scrutatur: manentes haec, fluxas usurpante illa mutationes. Quae quidem artes *physica* et *chimia* appellantur. Et quoniam nova fuit, divinae Providentiae decreto, insuperabilem ultra Oceanum serenda progenies, ideo polypus aedificata civitas, hausti promptique quasi siphon coloni; centipes ad hoc, centimanus vapor, et notarius atque vocalis adhibitus aether.

Quod tandem Numinis consilium, Aristotelis prius studiis, et rebus Alexandri praeparatum; a Crucesignatis deinde et Monachorum restitutum ordinibus; trans

Oceanum a Columbo postea provectum: media denique saeculi superioris parte, vapore est auctum atque perfectum. Quo quidem remige, et currus agitante, plures sunt annis singulis, quam centenis antea velo iumentisque transportati: dum significationibus ac vehiculis cinctum, orbem inusitata conmeanit commercia.

Itaque natae iam nunc Americanae Polynesiaeque sunt gentes, quae mille post annos maturescent. Sed quum totius sequentis Solem generis America negotiatorius sit cardo, nihilominus aurea tenuet candelabra, quae sita nunc est in Oriente, Europa. Et quae fuit vecturis heri, machinationibus, condimentis, saccharo, theobromae, metallorum condituri dedita, regias abhinc oportet sacerdotis et imperii discat artes: nisi immodico inque nefas perverso mallet ipsa suo aboleri officio.

Sicut enim secundi aiunt hi versus:

*Est modus in rebus; sunt certi denique fines,  
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

Quae enim artes et inventa plurimum nuper in colendam humanitatem valuere, culturae nunc ipsius, suos transgressae legítimos fines, vertuntur in perniciem. Et quia serratam aut venenatam lex divina sagittam prohibet, vetitum ergo quod est suo vapore venenatum, fragmentisque erumpentibus undique serratum, telum improbam occidit civitatem. Et subnatante latrocino mare vastisque navifragis clauditur. Et merita periit urbis proelio volatili, ac ponderosis verberata tormentis, ad sola obsidia, nihil adversus expeditos utilibus. Nam Sodomiticos ignes, ferreum imbrem, medicatam nebulam miles agrestis evadit, invio itinere, monte, saltu, paleo tutus, armatos eludens semita caprina currus. Sic avarus artificiosi fabricator belli malas suas divitias signatam convertit in chartam.

Quum vero adoleverint, plusque quibus quam parentes coloniae valeant, ab his

ergo artificiis, quae sunt tamquam cunabula crepundiaque puerilis adhuc generis, ad disciplinam potius abscedendum sapientis hominis, et ad iustitiae fanum ab officina, peractis Oceani vecturis, convertenda sunt studia, mores et opera.

Tornoduri, in Gallia Senonum.

IACOBUS TASSET.



## DE TERRA

Magnifice Klopstockius poëta de terra canens haec fere:

« Tantum terram, situlae guttam, circumvolans, adorabo omnipotentem.

« Etiam haec gutta situlae effluxit ex eius manibus.

« Quum exirent ex eius manibus terrae maiores et lucis flumina fremerent, et septentriones existerent:

« Etiam tu, gutta, ex manibus omnipotentis exitisti...».

Et hoc genus poëta plura. Terra igitur, domicilium hominum, his recipiendis apte instructum atque ornatum est. Quodsi quaeras sintne etiam in aliis caeli corporibus animantia, hominum similia, praedita ratione; astronomi, re diligenter versata, respondent, nullis id quidem adhuc probari potuisse argumentis, neque ullum vitae vestigium inveniri in illis, quorum propter propinquitatem facilior investigatio est, corporibus, in hac luna et in Marte planeta: in luna vero, quoad aëre careat et aqua, ne habitari quidem posse.

Summam eorum hominum, qui nunc in terra vivunt, esse putant «sesquimiliardum».

Terra superficies extenditur quingenitos novem millions - (ut vulgo nuncupantur) -, nongenta quinquaginta millia, septingenta quattuordecim (509, 950, 714) chilo-

metra quadrata. Horum centum tringinta quinque milliones, quadrangenta nonaginta millia, septingenta sexaginta quinque (135,490,765), tertiam fere partem, terra occupat; duas partes aqua absumperit, trecentos septuaginta quattuor miliones, quadrangenta quinquaginta novem millia, noningenta quadraginta novem (374,459,449) chilometra quadrata.

Tradunt astronomi hanc terram pertinere ad solare, ut aiunt, sistema, hanc cum ceteris planetis ab occidente ad orientem circumire solem, ab hoc in eam per se luce carentem luminis transmitti radios et calor.

Solis circumitum, quem illi revolutionem vocant, terra perficit trecentis sexaginta quinque diebus et duodequinquaginta momentis et totidem momentis secundis; quod temporis spatium annum nominamus. Ipsa via terrae ellipsis est, ex cuius focus alterum sol tenet.

Non igitur semper tantudem viae inter solem et terram est, quae via quum est longissima, centum quinquaginta millionum et unius chilometrū est (151.000.000). Centum quadraginta sex millionum via (146.000.000) brevissima est. Quantum hoc sit, ut opineris, fac peditem quinquagena passuum millia procedere diebus singulis. Sex annorum millibus is ad solem ibit. Agmen curruum citatum via ferrea actum vapore, si nulla facta statio fuerit, post trecentos annos ad solem pervenerit, premium secundae classis fuerit decem «marcarum» millionum.

Inter planetas, si quaeratur, quantum distent a Sole singuli, tertium terra obtinet locum: Mercurius abest chilometrū milliones duodesexaginta (58); Venus centum octo (108); Mars ducentos viginti sex (226); Iuppiter septingentos septuaginta tres (773); Saturnus mille quadrangentes duodeviginti (1418); Uranus duo millia octingentos quinque milliones et millionem (2851); Neptunus septem millia milliorum

et millones quadrangentes sexaginta septem (7467).

Caligo vero nostris offunditur oculis, quum stellarum errantium pondera nominamus. Terra est ex planetis minoribus, et occupat spatium unius billionis chilometrū cubicorum. Nunc autem unum chilometrum cubicum circiter est quinque - (vulgari et hīc infrae utemur nomine ad perspicuitatem) - milliardos sexcentos milliones chilogrammata pondo, ut totius terrae pondus sit quinque millia sexcenti trilliones chilogrammatum, quam summam si scribas signis Arabicis, post quinaria et senaria vicies collocabis signum zeri, sic :

5600, 000 000, 000 000, 000 000

Iam vero Saturni nonages ter tantum pondus est, Iovis trecenties decies tantum, Solis vel trecenties quinquagies millies (350.000) tantum. Hos numeros ne imaginamur quidem. Sed his numeris, hoc pondere adducimur, ut credamus tanta Solis mole quamvis remotos planetas suis contineri posse itineribus.

Quam vero illud sapienter provisum est, ut terrae axis non ita erectus sit in illa opinata Solis via, ut rectus efficiatur angulus, sed ut sit fastigatus, cum viginti trium graduum et viginti septem secundorum inclinatione. Nunc enim grata vicissitudine annus per quatuor tempora exiguntur; nunc modo breviores modo longiores existunt dies; nunc multo maior huiusce globi pars idonea est, quae ab hominibus et a ceteris animantibus incolatur.

Et quod spatio viginti quatuor horarum terra se circum assem torquet, quem motum rotationem nominamus, dierum et noctium efficiuntur vicissitudines et opinatus ille ortus solis et occasus. Quum terra et rotatur et revolvitur etiam involucrum eius aërium, quod nisi fieret, animantia non essent.

Iam vero terra ipsa, qua quidem domicilium animantium est, est quasi quidam

Dei hortus tribus exstructus gradibus: unus est terra continens, alter interiores partes, tertium gradum tenet mare, quod est totius horti quidam irrigator.

Continentis partes planae aliae sunt, montuosae aliae. Innumera vero montium cacumina sunt certe quasi perpetuum « Sursum Corda »; qua voce homines ad laudem Dei invitantur. Et illi omnes, non solum pastores Alpium, verum etiam doctissimi, quibus Alpium explorata natura est, dummodo adhuc sit reliquus sensus ad clamorem istum percipiendum, una reddunt voce: « Habemus ad Dominum ».

Sunt montes condensatores eorum vaporum, qui, ex mari hausti, super terram feruntur; et regulatores sunt earum aquarum, quae ex caelo cadentes fertilem redundunt terram et refrigerant; montes sunt receptacula illius aquae, quae istis ut nix et glacies imponitur unde fluminum repellent alvei; qui si nulli essent, si stagnaret aqua in terra, brevi magnae ibi essent paludes, ubi nunc magna conduntur urbes.

Quae terrae partes planae sunt, maximam habent varietatem: hic pulchras regiones natura patefecit, illic campi arte atque industria hominum exculti; hic frumentum ad alendos homines, illic urbes et vici, illic viae stratae et ferreæ ducuntur per totam terram, quibus populorum facile commercium est, humanique cultus facilis est propagatio. Tantus certe camporum est ornatus, ut stupeat vel is, qui amore teneatur patriorum montium.

Neque in remotis terrae tenebris, ubi nulli florent campi, nulla arva, quo nullus unquam solis penetravit radius, vitae deest ornatus. Hic enim premuntur illae opes, quae carboniorum industria effodiuntur; illae, inquam, opes, quae ad populorum mores conservandos salutemque promovendam deesse iam non possidentur.

Aqua vero quasi quidam regionis oculus est. Et magna copia per terram fundi-

tur, funditur fontibus, fluminibus, maribus. Fontes omnibus fere locis prorumpunt. Ne deserta quidem carent omnino puteis. Magna ars, qua fontium excogitata machinatio est; sed maiore admiratione dignum, quod ad tantam excogitata illa machinatio utilitatem est. Apparet enim non solum copia tanti doni, sed etiam bene ordinata parsimonia, appareat in distribuendo prudentia, omnibus rebus accommodatio. Hac in re licet providentiam Divinam manu capere, praesertim quem multae aquae tam salubres sint, ut aegrotis corporibus restituant vires. Fontes sunt millions tenuium filorum, quae, simulatque creverunt in flumina, terram quasi vincula quaedam incredibili venustate cingunt.

In fluminibus magnam partem vita agitur populum; nam his commercium est inter terram et mare. Singulare etiam illud est, quod omnibus fere locis globi terrestris terrae opponitur mare, ut perse nulli fere inveniantur antipodes. Haec res magni momenti est. Nam sic centrum geometricum propinquat centro gravitatis. Fingamus ingentia hemisphaerae meridianae maria repente siccari montibus septentrionalibus permanentibus: iam magis ad septentriones verget centrum gravitatis, terrae axis etiam magis inclinabitur, multae orientur mutationes astronomicae et meteorologicae et temporum anni contrarietas.

Praeclarae etiam maris et terrae proportiones. Si tres partes continentis essent, vastae huius essent solitudines, quae nullam proferrent vitam organicam. Et si continens omnino cohaereret ita, ut esset planities magna in mare projecta, interiores eius planitiei partes infinita essent Sahara.

Hoc ita se habere minime mirabimur, si consideraverimus humorem istum ad vitam organicam necessarium repeti ex vaporibus, qui continent ex mari ascendentis aura in terram vehuntur.

Quodsi, quanta maris est area, tanta terrae esset, multo minus humoris haberetur in aëre; et, quo magis contraheretur spatium marium, eo rariores aquae essent effusiones. Postremo omnibus fontibus exarscentibus omnis extingueretur in terra vita.

Infinita oceani vastitas fluctuumque motio mire hominum animos permovet. Qui se nunquam vidit circumdatum mari, huic mundus adhuc incognitus est, ut ait Goethus ille, hic nescit quanta sit vis et maiestas Divini operis, quantulusque in mundo homunculus; qua ex cognitione oritur humilitas atque modestia, qua nos affectos esse convenient. Inexploratam qui intuentur maris profunditatem miroisque undarum ascensus et deiectus, certe mente percipit suspicionem divinitatis; aestum maris qui contemplantur et undarum volumina et strepitum fluctuum, extimescentes procumbent ad colendam tantae infinitatem potestatis.

S. Wendel Saar.

A. HABERL.

## In honorem et memoriam DANTIS ALLIGHERII

SEXTO POST EIUS OBITUM SAECULO<sup>1</sup>

Ilico post eius obitum, universa Italia, effusis moestitia lacrimis, etiam atque etiam praecipuum tanti hominis fructum in oculis tulit, atque fusius edendum curavit, unde immortalem sibi et suis gloriam comparari optime noverat.

Iuvat interdum animo repetere, quomodo Itali, per multa saecula, in tot partes divisi, uno tamen spiritu in Alligherii carmine colendo, divinum eius poëma pu-

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

blice tradere, obscuriores sententias suavissimis luminibus hilarare, atque identidem in plurimorum utilitatem, in ipsis templis sancta eius placita religiose illustrare in deliciis habuerunt.

Quin imo, omnis aetas, volventibus annis, etiamsi multis distenta negotiis hostibusque vexata, nihil clarius obtinuit nihilque antiquius, quam perpetua laude hunc vatem in oculis ferre et praedicare. Omnibus enim virtus fuit Dantem legere, eum praeter ceteris diligere; certum sapientiae signum, eum in primis colere, aliisque tradere patriae decus fuit animisque ornamentum ac suprema laus.

Si enim nonnulla modo obiter dicere vellem de recentioribus divini carminis interpretibus, quibus e fontibus rem suam derivasse presumitur, infinitus essem. Omnes nituntur poëtam

*explicare chartis  
Doctis, Iupiter, et laboriosis!*

Sub miris equidem diversisque figuris eius carmen meditari sapientiores consueverunt, omnia quaeque curiosius inquirere intimusque divinare, novaque in dies portentosa audacius perscrutari. Nec omnes equidem rectam vatis sententiam tradiderunt. Quam saepe eos incusare poteris, confusionem potius ingerere quam lumen! Et merito de ipsis auctoribus dixeris, adeo sunt vaniloqui, et faciunt

*candida de nigris, et de carentibus atra.*

Tum idem Ioannes interrumpens dixit:  
— At ipse indignabundus in Pontifices Maximos invehitur...

At Matthaeus: — Rigi censoris personam plus aequo sustinuisse fateor. Hac in re etsi horum dignitatem verbis decorare aliquando insimulat, telis tamen acrioribus eos demordet et pugnacius instat. Plenius tum, quamquam sub speciem studii in religionem, declamatorio quodam more insurgit, et illa utitur argumentationis forma, quae ad uniuscu-

iusque captum magis est accommodata. Hinc maxima prudentia est a doctore adhibenda, ne quod ad salutem atque ad correptionem exaravit poëta, ut venenum potius ad lectorum internectionem redun det. Hinc cautum est, ut omnis interpres caute iram poëtae a veritate separet, atque inoffenso pede illas animi immodicas irritationes rependat.

Hoc nomine viri religiosi variis temporibus scholas instituerunt aut institutas probarunt, legibusque auxerunt ad divinum poëtam enucleandum, et nemo est nescius quanta in omnem Europam et doctrinae copia et vis humanitatis efflu xerit.

Ut h̄c sileam de ceteris, satis est scho lam in ipsis aedibus Vaticanis apertam meminisse, ex qua universa italica gens incrementa petiit prosperitatis et gloriae prope quotidiana. Iam vero par ac similis copia utilitatum facile est, atque ab scho lis profanis consequutura; quoniam doctores pariter atque alumni, amotis partium studiis et contentionibus, opinionem sibi a Clero conciliarunt.

Quas vero ingenii opes et animi virtutes in romana civitate paraverint, eas aliquando explicabunt domi atque in communem afferent utilitatem.

Et tua est gloria, immortalis ac sapientissime Leo XIII P. M., qui omnium munificentiam aemulatus et supergressus, et in exemplum erga Dantem Alligherium insignis, scholam splendidiore cultu exornatam de suavissimo poëta aperuisti, ad disciplinas artesque. Italorum provehendas ac doctissimis omnium disciplinarum magistris confirmasti. Tibi in aeternum sint Italorum gratiae; tu enim nostrae gentis decus atque ornamentum, tu nominis christiani gloria atque amplissimus splendor!

Quae novissima verba maiori animi motu studioque prolata audientium au res tenuerunt, et pectore ita pervaserunt,

ut omnes adsurgerent ac plausu acc perent.

Sic primae concioni finem gratulantes fecerunt.

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

## DANTIS ALLIGHERII INFERI

### Carmen II.<sup>1</sup>

Iamque dies decebat, iam subniger aēr  
Quaeque suo in terris animalia fessa labori  
Subducebat; ego tamen unus ferre parabam  
Et viae et angoris certamina, qualia inerrans  
Mens referet. Nunc oh! nunc, Musae, adsitis

[et altum

Ingenium; nunc oh! mea mens, quae visa  
[notasti,

Hic tua nobilitas claro splendore nitescit.  
Tum coepi: - O vates, o dux meus, adspice

[vires

Ante meas, utrum valeant, quam fortibus ausis  
Me credas. Evidem mortali in corpore narras  
Silvi venisse ad saeculum immortale parentem.  
Verum si Rex ille mali adversarius omnis  
Id comisque libensque dedit, dum grandia

[mente

Ex illo eventura, et quem qualemque voluat;  
Porro ea res sapienti non indigna videtur:  
Is namque est almae Romae Imperiique su-

[perne

Adiectus Pater; utraque nempe, ut vera lo-

[quamur,

Pro sacro fundata loco, sedes ubi Petri est,  
Maiorisque sedet Petri ubi successor in aevum.  
Descensu ille suo, unde virum tu laudibus

[effers,

<sup>1</sup> Ex ineditis P. JOSEPHI BONAVENIA, S. I., recens, cum doctorum hominum luctu, Romae vita functi.

Talia conspexit, quae caussa fuere triumphi  
Tum sibi, Pontificumque sacrum Urbi insigne  
[pararunt.

Vas Christi electum deinceps perrexit eodem,  
Ut Fidei, quae fons est principiumque salutis,  
Ad nos mortales robur columenque referret.  
Ast ego cur veniam? aut quis me sinit ultro

[venire?

Namque nec Aeneas nec Paulus ego: insuper  
[isto

Non ego me dignum, non alter credit ho-  
[nore.

Ergo viae si me dedam, ne forte putetur  
Stultum iter hoc timeo: sapis ipse meisque  
Nil opus esse vides iam verbis. Utque fit ille  
Qui modo quod voluit nolit, nova mente re-

[volvens,

Consilium mutat, coepioque absistit ab omni;  
Talis eram obscurō sub monte: ita multa vo-

[lutans,

Totam rem nuper subito molimine coeptam,  
Mente ipsa haerens absolvi. Verum illius

[umbra

Magnamini sic orsa loqui: Si verba loquentis  
Rite tua accipio, ignava formidine laesam  
Agnosco mentem: atque haec saepe ignavia

[quemvis

Occupat, et claris a rebus vertit agendis,  
Qualis equum, cum falsa videt, cava territat

[umbra,

Ergo tali animum ut solvas formidine dicam  
Cur me contulerim huc, quaeque ipse his

[auribus haus,

Cum primum indolui sortem miseratus acer-

[bam.

Inter suspensos degebam, et pulcra virago,  
Una beatarum, me nomine compellavit.

Quid iubeat rogo: vincebant sua lumina stellas.  
Tum suavis lenisque mihi sic farier illa

Angelico accentu proprioque idiomate coepit:  
Humana o comisque anima, unde et Mantua

[gaudet,

Cuius et illustris perdurat fama per orbem,  
Donec et orbis erit perduratura vigescet;

Ille mei, meque enim fortunae sed mei amicus,  
Deserta in regione sibi sic undique cernit

Interclusum iter, ut metuens vestigia vertat,  
Et vereor ne adeo sit iam deiectus, ut inde  
Sera quidem auxilio veniam: is mihi nuntius  
[laures

Perculit in caelo: iam perge apteque loquendo  
Aut qua demum cumque via res postulat  
[ipsum

Erige ut affiant nostrum nova gaudia pectus.  
Ecce ego te mittens vocor et sum nota Bea-

[trix.

Huc inde adveni, quo me iam rursus abire  
Grande monet desiderium: vestigia nostra  
Movit amor, movet ipse etiam nunc verba  
[loquentis.

Cumque meo adfuero Regi, te laude frequen-

[ter

Propter me extollam. Tacuit, tum ego farier  
[orsus:

O virtute potens virgo, qua una genus om-

[nes

Delicias humanum excedit, quaelibet exstant  
Sub caeli gyro, minimo quod volvitur orbe.  
Me tua iussa iuvant adeo ut mihi tardior

[esse,

Vel si facta forent, videar: iam desine men-

[tem

Pluribus explicuisse: sed illud dic, rogo, quare  
Non caveas tibi tam praeclera sede relicta  
Quo rediisse cupis, nil huc vereare deorsum  
Descendens imo vestigia ponere centro.

[menda

Atque ea: Si penitus facti cognoscere causas  
Est tibi tantus amor, cur nec venisse recusem,  
Nec timeam; expediam paucis: ea sola ti-

[menda

Quae valeant inferre malum, non cetera,  
[quando

Ista pavoris habent in se nihil: insuper ipsa  
Numine caelesti (eiusque haec est gratia) fio  
Talis, vestra meum ut non infortunia tan-

[gant

Pectus, nec iacent in me ista incendia flam-

[mas.

Virgo benigna sedet caelo, miserata laborem  
Nempe viaeque moras, quo te nunc mittimus,  
[atque

Ipsa est iudicium qua durum frangitur illic.

Ipsa est quae Luciam petiit, verbisque rogavit:  
Nunc eget ille tui fidus tuus. En venio ad te  
Commendoque tibi. Crudelem quemque pe-

[rosa]  
Mox Lucia exiluit, sedemque ubi ego probe

[Rachel]  
Antiquam rite asidebam accessit et infit:  
Numinis o verax laus quidni sponte Beatrix  
Auxilio iuvuisse tuum non pergis amantem,  
Qui te tam coluit, teque auspice pone reliquit.  
Vulgarem turbam? Nonne audis fletibus

[lauras]  
Incendentem? Nonne acri certamine mortem  
Ipsum contra oblectantem prope fluminis

[fundas,  
Quas salis unda suo non accipit aequore,

[cernis?  
Nusquam olim rapido se quis tulit impete

[velox  
Sive bonum ille suum appeteret, sive ille

[periculum  
Effugeret, quantum ipsa, auditis hisce, cu-

[curri.  
Descendi linquens caelum sedesque beatas,  
Sermoni confisa tuo, quem vestit honestas,  
Teque auditoresque tuos exornat honore.

Dixit et illacrimans lucentia lumina volvit.  
Inde mihi citius veniendi iniecta cupido.

Veni, teque ferae eripui, quae ad culmina

[montis  
Interdixit iter brevius; nunc vero quid hoc

[est?  
Quidnam, quidnam haeres? Quidnam ista

[ignavia pectus  
Obtinet, aut quidnam virtus aut deficit ardor?  
Tres siquidem tales caeli versantur in aula

Sollicitamque gerunt pro te curam, ipseque

[sermo  
Ecce meus tam multa tibi tamque optima

[spondet?  
Ut gelida flores proni nocte atque plicati,  
Solis ad alborem calamo assurgunt, et hian-

[tem  
Explicuere comam; talis mihi languida virtus  
Conciderat; talis vigor ad praecordia venit,  
Has ego ut ediderim seculo pectore voces:

O Pia, quae mihi opem tulit: o tu comis ita

[ultimo  
Ac subito parens dicto, quod vera ferebat.  
Quin etiam ecce tuis incendis pectora dictis,

Et studium veniendi addis: iam prima tenere  
Proposita aggredior: iam perge, est una vo-

[luntas  
Amborum: tu dux, dominus tu, tuque magi-

[ster.  
Haec dixi; et postquam gradiens iam coope-

[rat ire  
Alta silvestrique via vestigia pressi.

## COMMUNIA VITAE

### De officiis<sup>1</sup>

— Loquere fidenter; iam enim tibi dixi tuas res non minus cordi mihi esse, quam meae sunt. — Ubi tuae res aguntur, meas quoque agi existimo; quasi mihi tecum communia omnia et coniuncta sint. — Totum me ad tuas rationes adiungam. — Ne meas quidem rationes ad tuas anteponam. — Meas ipsas, si oportuerit, domesticas res pro te abiiciam (pro derelictis habebo; negligam; cuivis casui permittam). — Rerum domesticarum curam pro te deponam.

— Velim sic me Titio commendes, ut maiore cura, studio, sollicitudine animi commendare non possis (ut neque maiore studio quempiam, neque iustioribus de causis commendaveris). — Vehementer mihi gratum erit, si me humanitate tua, quae est singularis, apud Titium comprehendendis. — Gratissimum mihi feceris si pro me tantum apud Titium commendationis tribueris, quantum cui tribuisti plurimum (si me quam maxime pro tua dignitate poteris, iuveris atque ornaveris). — Velim me apud Titium quam liberalissime com-

pletaris (omnibus tuis officiis atque omni liberalitate tuearis). — Persuade tibi, nihil me maiore studio a te petere, nihil te mihi gratius facere posse, quam si omnibus tuis opibus me apud Titium iuveris. — Ita a te peto, ut magis ex animo petere non possim, ut omne genus liberalitatis, quod ab humanitate tua proficiisci poterit, apud Titium pro me adhibeas. — Vehementer te rogo cures ut ex commendatione tua mihi qnam quaero utilitas deveniat. — Si me tanti facis quanti ipse ego sentio, cura ut commendatio tua tantum utilitatis mihi sit allatura, quantum et spero et de te confido. — Peto a te maiorem in modum ut mihi in hac re quantum tua dignitas fidesque patitur commodes (cures), ut Titius intelligat commendationem tuam apud se non vulgarem fuisse (maximo mihi adjumento fore; nullam rem mihi maiori usui et ornamento, quam tuam commendationem esse posse).

— Commenda me ei non vulgariter, sed ita prorsus, ut quos diligentissime valdeque ex animo soles. — Genere commendationis apud eum pro me utaris, quaeso, quod sit ex intima arte intimoque ex animo de promptum. — Quanti apud eum es, tantum valere apud eum commendationem tuam effice, ut intelligat, quum ipsis me commendabas, ea commendatione, quae posset esse diligentissima, te usum esse.

— Ne dubitaveris; te ei intime commendabo (de meliore nota commendabo). — Omni studio et commendatione efficiam ut a Titio postulata obtineas (impres; assequaris; consequaris; adipiscaris). — A Titio pro te quae desideras exorabo; quin etiam, si opus fuerit, torqueam (auforam; eliciam; exprimam). — Auctoritatem meam omnem in te iuvando collocabo (insumam; consumam; impendam). — Toto animo studioque incumbam in tuum commodum. — Curas omnes in commodum tuum defigam (transferam) — Omne studium (officium; omnem laborem; diligentiam; cogitationem; operam) ad te adiu-

vandum conferam. — Nihil non agam (nulum non movebo lapidem) ut quo tendis advenias. — Omnes nervos intendam (omnes machinas adhibeo; vires omnes conserbam; omni ope atque opera enitar) ut res voluntati tuae obsecundet. — Omnes prodam animi vires et ingenii (omnem industriam consumam) ut ingenio tuo indulgeatur. — Quidquid auctoritate et gratia valebo, tibi valebo, — In hac tua re promovenda, studio contendam quam licet maximo. — Summam adhibeo diligentiam summumque studium ut tibi morem geram. — Ad satis faciendum tibi curam omnem operamque conferam. — Tibi quod postulas impetrabo.

(Ad proximum numerum).

FOREX.

## PRO IUNIORIBUS

### De latinae linguae aetatibus.<sup>1</sup>

Latinae linguae vita ad humanae exemplum est comparata, ut ei et sua esset infantia, adolescentia, virilis aetas, senectus et senium.

Infantia latinae linguae fuit ab Urbe condita usque ad Pyrrhi tempora; cuius vestigia exstant in fragmentis legis duodecim tabularum; ex quibus arguas latinam linguam principio fuisse rusticam, et horridam, ut illa probant *aulai*, *pictai*, *capteivei*, *coius*, *ioustitia*, *flauros*, *hic servos*, *hunc servom*, *volt*, *voster*, *maximus*, *optimus*, *amaxit*, *dicundum*, *faciundum*, *amarier*, *amassere* et alia eiusmodi. Et merito quidem: nam principio Romani in nulla alia re, quam militari et rustica versabantur.

Adolescentia linguae est a Pyrrhi temporibus usque ad Syllae: qua aetate coeperunt Romani a Graecis litteras ediscere,

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>1</sup> Ex scriptis I. B. Vico recognovit C. Ronchetti.

et atticum mel in latinum transvehere. Et optimi scriptores extiterunt, in quibus videas quidem ipsum aetatis florem, et in aliis luctulentum adhuc, ut in Ennio; in aliis horrentem paululum, ut in Catone; in aliis luxuriantem, ut in Plauto; in aliis cultissimum, ut in Terentio.

Virilis aetas viguit Iulii Caesaris et Octavii Augusti tempore, quod dicitur *aureum linguae*, quo Romani cum Graecis tum eloquentiae, tum sapientiae studiis contenderunt, ut in summa maximi imperii potentia linguae robur firmatum sit. Eam enim hoc aeo excoluerunt Varro doctissimus, elegantissimus Caesar, facundissimus Cicero, vehemens Sallustius, lacteus Livius, nitens Lucretius, sublimis Vergilius, Horatius in lyricis novus, in sermonibus, epistolis et arte (poëtica) purus, facilis Ovidius, cultus Tibullus, Graecis gaudens Propertius, ac plenissimus elegantiarum Catullus.

Decrescenti aetati initium fecit Tiberius Caesar, qui quum brevi dicendi genere delectaretur, et oppressa libertate cives Romani partim ob adulationem, partim ob metum, recta animi sensa inverttere, et acria hebetare conarentur, impro prium et obscurum sermonis genus invaliuit. Sed maxime accesserunt ad Ciceronem Quintilianus, ad Sallustium Tacitus, ad Livium Quintus Curtius. Arbitr Petronius: lauditorum, munditarumque, et vi tae, et sermonis arbiter, Elegantissimi, ut in ea aetate, ex historicis Suetonius, ex poëtis Juvenalis. Sed in verbis momentosissimus Tacitus, quamquam in sententiis proprius. Apuleius autem quodam scri bendi genere facto usus est, iucundo tam en. Tres autem Senecae, philosophus, rhetor, poëta, sententiis magis quam locutione commendantur. Eiusdem census est Plinius Nepos: Lucanus autem tumet; Statius noster audet; Martialis saepe abutitur lingua; Persius se sua caliginosa poësi involvit.

Hanc aetatem terminat Adrianus, a quo linguae senium ad Theodoricum usque tractum est; quo Latium provincialibus undique hominibus celebratum, - quod Imperatores Romani ex provinciis etiam creari coeperunt -; deinde quum invasum esset a barbaris nationibus, bonarum studia litterarum aut a nemine, aut a paucis excolebantur: itaque lingua semibarbara facta est. Scripserunt tamen ea aetate Lactantius Firmianus, omnium Patrum latinissimus; Hieronymus Ciceronianus; Tertullianus in audendo felix; Augustinus sententiis magis acutus; Gregorius numero ferme poëtico delectatus. Et poëtae floruerunt Ausonius et Claudianus, ille acutis sententiis, hic locutione commendator. Uni iurisconsulti veluti depositam linguae puritatem, atque id ex formulorum solemnitate conservarunt. Atque haec aetas in Symmacho et Boetio finem fecit.

Tandem lingua intermortua est, ubi cum linguis barbarorum, quae Italiam occuparunt, prorsus confusa est: ex qua confusione haec nostra vernacula, quae Italica lingua appellatur, orta est.

### Carolus Andreas Card. Ferrari.

Carolus Andreas Ferrari, Archiepiscopus Mediolanensis, idemque Pater Cardinalis, hoc labente anno, quo die solemnia Mariae puerperae perlitanis cele brabantur, placido exitu, flebilis omnibus decessit.

Humili loco natus *Pratoplani*, apud Parmam, pene puer, domestica matris consuetudine et sanctissima disciplina ex cultus, sacras disciplinas sic arripuit, ut vixdum annos natus viginti duos sacerdotio initiatetur. Civili sapientia et rerum usu praestantissimus habitus, difficillimis temporibus, pietate in exemplum eluxit,

et patrium clericorum Seminarium singu lari sapientia moderatus est. Integra, qua erat, natura, egregias animi dotes sacerdo talia quadam verecundia honestavit. Nulla in re nimius, animi magnitudinem humana despiciens exhibit.

Vir antiqua innocentia et fide, Episco pus, florente aetate, Guastallensium, mox Comensium renuntiatus, nondum Romana purpura auctus, Archiepiscopus Mediolanensis salutatur. Quam expectationem sui concitaverat, singulari consilio, fortitudine, industria sustinuit, imo est super gressus. Maxima rerum et hominum pruden tia laudatus, non hominibus serviit, ius fasque ex animi sententia libero ore defendit.

In tanta ingeniorum versutia et in tanta rerum perturbatione, impotentem factiosorum audaciam christiana patientia fregit. In sacris concionibus assiduus, disertus, pugnax, per omnes temporum vi ces, humana ut mortalia, divina adamavit ut immortalia. Tanta fuit in filios huma nitate, ut se ipsum ultro negligeret. Mirabile dictu: ter immensam dioecesim rite lustravit! Et qualem praestare se insti tuerat, talem per viginti et amplius annos servavit.

In omnibus praeclara fuit industria novus, laboris adeo patiens, ut diem saepe noctemque rebus gerendis continuaret. Propositi tenax, universam dioecesim aequo rexit imperio. Nullius infortunium a se alienum putavit. Invicta fide Ambrosium, ardenti religionis studio Carolum, omnes retulisse praedicant. Quod vitae pariter actae hoc etiam documentum dedit, quod fatali morbus correptus, sui securus, ex humili lectulo moriturus, mirabilis constantiae exemplum omnibus reliquit, et filios adsiduis scriptis solatus est. Labente in dies valetudine, diuturnis doloribus afflictatus, sacerdotis dignitatem magnis virtutibus cumulavit. Et alieni eximium Mediolanensium animum admirabuntur,

qui ingravescente morbo, grato eius vi dendi desiderio acti, magno clamore pa trem suavissimum salutare venerabundi voluerunt. Saepius sanctissimis religionibus perfunctus, inter suorum supplicatio nes, vitae finem, ingemiscentibus omnibus, placide adspexit.

Animae candidissimae festinata lux beatorum affulgeat, atque illinc nos et labores nostros, quorum particeps apud hunc *Almae Romae* commentarium esse voluit, ipsa obsecundet.

F.

## ANNALES

### Londinensis conventus.

Post Parisiensem, en conventus novus a die xxi mens. Februarii Londini habetur, quasi illius continuatio: huc enim Germanici legati animadversiones suas afferre debent contra impositas sibi belli refectiones; hic inter alia et discrimen Turcas inter et Graecos definiendum erit. Turcae duabus legationibus ad conventum accesse re, altera ex Angorae gubernio missa a Kemal principe, qui imperii legitimam re praesentationem sibi praesumit; altera a gubernio Constantinopolitano, qui eamdem sibi vindicat. Quamquam ambae in eadem postulata apud victores populos consense runt, scilicet ut Turcarum imperio fines in Europa restituantur, qui erant anno MCMXIII; in Asia minore autem hinc ad Arabum gentium loca, inde ad Armeniam, iuxta limites inter Angorae administratos et Eri vani gubernium iam constitutos. Repetuunt insuper ut Graeci Smyrnae territorium deserant, utque libertas inter fretus navi gandi detur, aliaeque tum de internis iuri bus tum de aerarii administratione tui tiones; quae omnia ad Sevrensis foederis revisionem recta adducent. Graeci ex adverso affirmant atque probare conten

dunt Smyrnae regionis incolas, itemque Thraciae atque orae minoris Asiae, Graecos omnino esse; Graecas pariter proprietates illic existentes; itemque vectigalia omnino a Graecis solvi. Huiusmodi utriusque partis contentiones, dum scribimus, agitantur, brevique videbimus quorsum erunt evasura.

Adnotandum denique est ad Londinense conventum Armeniae quoque legatos fuisse admissos; at Civitates foederatas Septentrionalis Americae consulto ab eodem secessisse.

\*\*

### Russicae res.

Alius conventus superiore Februario mense Riga in urbe est congregatus, in quo Poloni, Lithuani, Lettones atque Aestonii pacis pactiones mutua ex voluntate sanxerunt; dum in reliqua Russia Bolscevicarum tyrannica ratio furit. Contra quam dicunt classem Kronstadt in portu collectam surrexisse; quin imo hunc motum ad Petropolim urbem esse propagatum. Sed certa argumenta desunt ad cognoscendum quantum veritatis in hisce nuntiis continetur.

\*\*

### Orientales seditiones.

Seditiones aliae in Oriente adnumerandae sunt; altera in Armenia contra Georgianum exercitum, qui non solum neutram regionem occupaverat, sed ipsius Armeniae fines erat supergressus; in Perside altera, ubi Cosacorum acies Teheran, urbem caput, armata manu occuparunt, guberniumque deposuerunt, quod non validum satis contra Bolshevica agmina in Persicum imperium procedentia aestimabant.

\*\*

### Varia.

In Graecia publicus legibus ferendis coetus recens electus «constituens concilium» sese edixit, cuius esset finis patria statuta

instaurandi, quae gubernia proximi temporis violaverint.

In Germania foederatae Imperii civitates simul convenerunt de communibus rebus disceptatura.

Kalendas Martii MCMXXI.

POPULICOLA.

### VACUI TEMPORIS HORA

Iam fama longe lateque manavit: **Lau-retana domus B. V. M. Mariae**, die xxiii superioris mensis Februarii - dolo an fortuito eventu incertum - ignis praeda facta est, atque celeberrimum Dei Genitricis simulacrum abiit, flammis forte in cinerem redactum. Infortunium Christifideles universi orbis collacrimarunt, atque diaria passim, illud nunciantia, venerabilis loci descriptionem non omiserunt. Nos quoque communis doloris participes, hec funestum fatum commemorare voluimus, Tursellini paginam, ex eius *Historia Lau-retana* depromptam, exscribentes, in qua sacellum ipsum latine describitur, prout sequitur:

«Aediculam conspicunt fastigiato tecto et simul camini culmine, simul sublimi tintinnabulo insignem: at nulla re magis quam vetustate visendam. Protinus limen ingressi, prosternere humi corpora, Deum venerari sacro quodam horrore pariter, gaudioque perfusi. Inde orato Christo, Christique parente, quorum simulacula cernebant, cuncta otiose contemplari et perlustrare oculis cooperunt. Sacellum animadvertunt figurae quadrangulae, oblongae, e vulgari structum lapide. Tectum perbelli laquearibus concameratum: quod, modicis distinctum quadratis caeruleoque colore obductum, inaureatae stellae, velut in caelo quodam intermicantes, honestabant. Sub tecto laqueato eminebant

undique e parietibus modica specie semicirculi a mutuo contingentes; quos medios pictae adornabant capidines. Parientes cubitali ferme crassitudine, neque ad perpendicularum, neque ad regulam exacti, loricati tamen opere tectorio. Huic superinducta antiquitus pictura aedis ipsius mysteria referebat, quae superne multis locis hodie monet, inferne temporis vetustate defluxit. Aedis longitudo pedum amplius XL, latitudo minus XX, altitudo circiter XXV. In medio ferme pariete, qui olim, ut reor, faciem obtinebat, domus ianua satis ampla, sed a vulgaris usu haud sane abhorrens. Pro superliminari trabs rудis superiecta est. Ad laevam armarium mirae simplicitatis asservandis fictilibus aptum. Ad dexteram, in proximo pariete, fenestra non magna: e regione fenestrae caminus humilis tenuisque; opere, ut cetera, vulgari. Inibi sublime loculum, columellis in orbem striatis latera cingentibus conspicuum; arcuque eiusdem operis quinque iunctas pariter lunas imitante fastigiatum. In loculamento B. Maria stantis, ac puerum Iesum altera manu medium amplexantis, altera sustinentis, effigies cedrina fere bicubitalis...».

\*\*

Quod Bernerii carmen vobis, o socii et lectores humanissimi, hodie exhibeo, est proximis Paschalibus diebus accommodatum, quamquam **Ovorum Iusus**, qui describitur, in desuetudinem apud nos cessit; utrum in aliquo pago exstet adhuc, prorsus ignoro, gratusque ero, si vestrum aliquis, qui in sua regione eum invenerit etiam nunc vigentem, de eo notitiam mihi dederit. Scena est sapidissime, ut auctor solet, redditia. At vos iudicetis:

Sunt loca nota Urbis, magnis extensa plateis, Vel prope cauponas, vel procul inde pa-rum. Tempora dum redeunt festivis laeta diebus Paschatis, en agit hic plebs male sana iocos.

Ligna super quattuor tabula est bene fixa.

[Patenti

Huic super imposita est cistula lata, rudis.

Non vacua est, ludi fert instrumenta, paratam

Nempe hanc ova rubro tincta colore re-[plent.

Accurrit pueris vulgaris mixta iuventus;

Stant omnes circum, ludere ut incipient.

Arripit hic ovum, quin eligit ictibus aptum,

Quodque magis solidum est, hoc mage lusor [amat.

Cautus partem ovi extremam scrutatur utramque,

[que,

Praecipue ast illam, quae exstat acuta [magis,

Sentiat ut vero sit quantum in cortice robur,

Dextra super dentes ovum agitando, quatit.

Inde manu claudit medium, mediumque relin-

[quens

Ictibus expositum, ludere posse petit.

Huic ergo arridet socius, ludoque paratur,

Ovum unum ex ovis pluribus accipiens.

Dein iunctis illud digitis invertit acutam

In partem, nempe haec durior esse solet.

Tunc ovo exposito, socii super eminet ovum

Ludi iacturam lusor uteque timet.

Hic subtus dextra immota ovum firmat, et

[alter

Supra agitans, ictum sic agitando, parat.

Hoc illud leviter supremo in cortice pulsat,

Descendit, gravior denique facta manus.

Tunc unum ex ovis concussum frangitur?

[Illud

Frangenti, ludi lege iubente, datur.

Sunt quidam ludendo solent qui fraudibus

[uti,

Et pravas artes ad scelus omne parant.

Marmoreum interdum celant sub vestibus

[ovum,

Quod ruber, ac similis pinxerat ante color.

Arripiunt cauti, veris et sumere ab ovis

Fingunt, exponunt ictibus inde manus.

Ovo concutitur saxum, fracturaque certa est,

Mollia, nam duris cedere rite solent.

Saepe est eventus felix; deceptio nulli

Nota est, saepe docet fraus repetita dolum:

Deceptum furor exagit, ludoque relicto  
In deceptorem protinus ipse ruit.  
Oraque compressis digitis contundere tentat  
Ictum declinans obiicit ille manus.  
Sed vi tanta magna vibrantis dextra movetur,  
Et tumidos oculos, concutiendo facit.  
Arripit inde sinistra comam fugientis, et illam  
Involvit, reus, et lusor abire nequit.  
Invitus caput inclinat tunc ille, sed alter  
Subtus vibratis ictibus ora quatit.  
Percussor clamat, furemque appellat, et addit  
Turpia verba; sed haec Musa referre ne-

[quit.]

Ecce viatorum pietas hunc liberat. Ergo  
Consulit extremis, dum fugit ille, malis.  
Marmore quae fregit ludentibus ova relin-  
[quit;  
Illi, quum tantum sit fuga tuta, satis.  
En fraudum finis. Qui decipit arte sodales,  
Deceptor tandem fit miser ipse sui.

\*\*

**Iocosa.**

Tuccius domi debacchans tumultuatur.  
Eum mater vehementer obiurgat:  
— Quoties monui te ne strepitus faceres,  
quum pater tuus somnos ducit!...

Cui Tuccius:

— Atqui si eo exsomni fecerim, quis  
me ab eius verberibus liberaverit?

Inopis cuiusdam, terram nudis pedibus  
prementis, meditatio, dum aeronavim subli-  
mem conspicit:

— Ut sunt humana! Qui tantam possi-  
dent pecuniam, qua calceos sibi comparare  
possint, in aere volant!...

\*\*

**Aenigmata.**

I

Multiplicat pars prima, sed altera demere  
[gaudet:  
Hanc illi vinclo iunge tenace tamen.  
Exoritur Numen fines defendere sollers,  
Ipse cui cessit Iuppiter altisonans.

II

Vox eadem signo leporem callempique laten-  
[tem,  
Viscera telluris, qui tenebrosa secat.  
Aenigmata in superiore fasciculo pro-  
posita his respondent: 1] *Rivus - Virus*;  
2] *Magalia - Magnalia*.

IOSFOR.

**ROMA SACRA**

**SS. D. N. Benedicti Pp. XV allocutio ha-  
bita in Consistorio die VII mensis  
Martii MCMXXI.**

*Venerabiles fratres,*

Gratum vehementer est quod vos coram  
frequentes intuemur, quibuscum una de sanctae Ecclesiae negotiis et animarum, Nostrae  
potissime demandatis curae, consultare Nobis  
licet. Atque utinam in hunc amplissimum  
consessum afferre iucunda et laetabilia pos-  
simus: verum tristitia prohibemur horum  
temporum quum belli nondum usquequaque  
consedit furor, civilesque motus et populo-  
rum certamina, quae plurifariam ardescunt,  
magna etiam nunc sollicitudine Nos afficiunt.  
Memores euidem Nostrarum partium, nullam  
adhuc occasionem praetermissimus, quant-  
um erat in Nobis, laborandi ut in posses-  
sionem pacis et tranquillitatis rediret humana  
societas, quam tranquillitatem plures illa sibi,  
saeculis anteactis, Ecclesiae obtemperando,  
peperisset. Itaque, natali septingentesimo Ter-  
tii Ordinis Franciscalium appetente, nuper  
orbem catholicum ad illud et abstinentiae et  
caritatis christianaे studium hortati sumus,  
quo Assisiensis Patriarcha incensus, quum ho-  
mines a terrenarum rerum amore ad caele-  
stia traduceret, tam opportunam aetatis suaē  
medicinam adhibuerat.

Etenim nunquam fortasse hac hortatione  
tam opus fuit quam hodie, quum, ex ea belli  
dimicazione vix emersum, cupiditatum ardo-  
ribus et partium contentionibus misere con-  
flictatur genus humanum; quumque, nisi ad  
christiana instituta renovetur vita singulorum,  
admodum difficile erit ethnici spiritus, longe  
lateque fluentem, remorari luem, quominus  
omnem consuetudinem civilem omnesque pri-  
vatorum mores inficiat. Quod si, pactione  
facta, belligerari desitum est, non tamen vera  
pax mundo illuxit, nec quicquam in convictu  
domestico, in societate civili, in exterisque  
populorum rationibus magis desideratur, quam  
fraternae hominum necessitudini christiana-  
que coniunctioni consentanea, ordinis tran-  
quillitas. Videmus, addictos acerrime contra-  
riis partibus, cives cum civibus ad caedem  
saepe configlere; videmus gentes, sub uno  
eodemque natas educatasque caelo, de com-  
munis possessione soli armis disputando, ae-  
ternarum inter se iacere semina discordiarum;  
ad haec, veteres quarundam nationum simula-  
tates erumpere in violentiam immanitatemque  
facinorum, quae quidem cum legibus morum  
atque humanitatis male cohaerent, quaeque  
Nos, undecumque fiant, improbamus.

Iam vero consentient omnes conventa ho-  
minum vel consultissimorum quantumvis elab-  
orata ad conficiendam pacem, permansura  
quidem, ut civilis prudentiae documentum,  
in scriptis, non vero gentium pervasura ani-  
mos nec habitura legis vim nec ullum omnino  
usum, nisi cum iustitiae aequitatisque funda-  
mentis constituta fuerint, tum etiam nacta  
sint mores et instituta populorum iis chris-  
tianis conformata principiis, quae de civili  
cultu ethnica turpitudinem depulerunt, et  
quorum virtus ad res humanas privatum pu-  
bliceque emendandas Francisci temporibus  
mirifice apparuit. Profecto si domitas habeant  
virtute cupiditates, exsistet in hominibus sin-  
gulis ille ordo intimus, quo ipsa societatis  
humanae ordinatio nititur; ex fraterna autem  
caritate, si quidem eam non minus, quam  
iustitiam, classes inter se civium itemque po-

puli, sicut christianos decet, colere institue-  
rint, efflorescit mutua fides, qua nihil melius  
ad alendam pacem et confirmandam.

Haec ut, divino beneficio, quamprimum  
christiana morum renovatio fiat, eoque ipso  
orbis terrarum in longum tranquilletur, Nos  
equidem precamur petimusque, optantes in-  
tere a ut saecularis, quam diximus, celebritas  
exspectatissimum tempus, sancti Francisci  
spiritum vulgando, matureret.

Nunc autem, venerabiles fratres, antequam  
ad Episcoporum cooptationem veniamus, ex-  
mimos viros sex in perhonorificum Ordinem  
vestrum adlegere constituimus.

Hi sunt:

FRANCISCUS RAGONESI, Archiepiscopus Tit.  
Myrensis, Noster in Hispania Nuntius Apo-  
stolicus;

MICHAËL DE FAULHABER, Archiepiscopus  
Monacensis et Frisingensis;

DIONYSIUS DOUGHERTY, Archiepiscopus  
Philadelphiensis;

IOANNES BENLOCH Y VIVÓ, Archiepisco-  
pus Burgensis;

FRANCISCUS ASSISIENSIS VIDAL Y BARRA-  
QUER, Archiepiscopus Tarragonensis;

CAROLUS JOSEPHUS SCHULTE, Archiepisco-  
pus Coloniensis.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, san-  
ctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra  
creamus et declaramus Sanctae Romanae  
Ecclesiae Cardinales:

**EX ORDINE PRESBYTERORUM**

FRANCISCUM RAGONESI,

MICHAËLEM DE FAULHABER,

DIONYSIUM DOUGHERTY,

IOANNEM BENLOCH Y VIVÓ,

FRANCISCUM ASSISIENSEM VIDAL Y BARRA-  
QUER,

CAROLUM JOSEPHUM SCHULTE.

Cum dispensationibus, derogationibus, etc.

**Ex Pontificia Commissione ad Codicis  
I.C. canones authentice interpretandos.**

Dubia soluta in plenariis Comitiis Emo-  
rum Patrum:

*De examine parochorum.* — In can. 459,  
§ 3, 3º Codicis praescribitur ut loci Ordina-

rius clericum, quem magis idoneum iudicat ad paroeciam vacantem, examini super doctrina subiicit coram se et examineribus synodalibus. Quaeritur:

1º Utrum huic examini subiici debeat clericus iam de una paroecia provisus, *toties quoties* de nova paroecia providendus erit; an vero sufficiat periculum semel factum pro prima paroecia.

2º Utrum examini subiiciendus sit parochus remotus a paroecia qui, ad tramitem can. 2154, transfertur ad aliam paroeciam.

3º Utrum pariter examini subiiciendus sit parochus qui ex officio transfertur ad aliam paroeciam, ad tramitem tituli XXIX, libri IV, canonum 2162-2167.

4º Quid agendum si clerici, quos Ordinarius idoneos reputat, nolint examini subiicare, quod forte non semel accidet pro minoribus paroeciis.

5º Utrum periculum, de quo in can. 996, § 2 et 3, dummodo coram ipsomet Ordinario et examineribus synodalibus fiat, sufficere possit saltem ad provisionem pro prima paroecia.

6º Utrum examen, de quo in can. 130, § 1, sufficiat ad provisionem paroeciarum toto tempore quo sacerdotes illud subire tenentur, dummodo coram Episcopo et examineribus synodalibus fiat.

*Resp.* ad 1<sup>um</sup>: Ad 1<sup>am</sup> partem providebitur in 2<sup>a</sup>. Ad 2<sup>am</sup> partem affirmative, si translatione fiat *proponente ac suadente* Ordinario; negative si fiat *ad instantiam* parochi, nisi Ordinarius cum examineribus synodalibus iudicet idoneitatem adhuc perdurare, eamque esse sufficientem ad novam paroeciam.

Ad 2<sup>um</sup> negative.

Ad 3<sup>um</sup> negative.

Ad 4<sup>um</sup>: Quatenus non sit provisum per responsionem ad 1<sup>um</sup> dubium, Ordinarius recurrit ad S. Congregationem Concilii.

Ad 5<sup>um</sup> negative, nisi examen versetur etiam circa ea omnia, de quibus interrogandus sit clericus de paroecia providendus.

Ad 6<sup>um</sup> negative, salvo tamen praescripto § 2 eiusdem canonis.

*De Canonicis.* - I. Utrum prohibitio optionis per Codicem Iuris Canonici inducta, intelligenda sit tantum quoad dignitates, an etiam quoad omnes canonicatus. - *Resp.* Negative ad 1<sup>am</sup> partem; affirmative ad 2<sup>am</sup>.

II. Utrum ad normam can. 411, § 3, in capitulis vocem habeant beneficiati et mansionarii, si id eis competit *tantum* ex statutis capituloibus. - *Resp.* Negative; seu post publicationem Codicis beneficiatos et mansionarios vocem in capitulis amplius non habere, si id eis competebat *tantum* ex statutis capituloibus.

III. 1º Utrum in § 1, n. 1, can. 421: *Qui de licentia Ordinarii loci publice docent in scholis ab Ecclesia recognitis sacram theologiam aut ius canonicum*, etiam comprehendendi debeant canonici qui de Ordinarii licentia docent retributione peculiari pro lectione percepta; an tantum qui absque tali retributione theologiam vel ius suscepint edocendum. - 2º Utrum illud « *sacra theologia vel ius* », in praefata paragrapho *stricte* sit interpretandum (ut theologiam fundamentalem, theologiam dogmaticam et moralem, et in iure, institutiones canonicas, necnon textum Codicis tantum significet); vel *ampliori ratione* illa verba sint sumenda, pro *facultate* vide-licet s. theologiae vel iuris canonici, ita ut ibi etiam comprehendantur disciplinae quae ad normam statutorum *uniuscuiusque Seminarii* in praelaudatis facultatibus edocentur (historia nimirum ecclesiastica, archeologia sacra, linguae biblicae, etc.).

*Resp.* ad 1<sup>um</sup> affirmative ad 1<sup>am</sup> partem, negative ad 2<sup>am</sup>; ad 2<sup>um</sup> negative ad 1<sup>am</sup> partem, affirmative ad 2<sup>am</sup>.

(*Ad proximum numerum*).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Sponsor.*

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.